



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Hominis accusatio, & commendatio misericordiæ divinæ, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT II.

Homini accusatio, & commendatio misericordie divina.

1. **E**Cce plasmator mei, multa rogavi, qui nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non solum quæ postulo non debentur dona, sed multa & exquisita supplicia. Animant tamen me publicani, meretrices, & latrones; qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinibus excipiuntur pastoris. Tu enim factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso, per quendam tuum servum dixisti: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et quasi de singulo loquentem, de universo populo tuo te dixisse confidimus: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis; nisi forte qui amens, te exhorruerit.

2. Ergo non iratus modo non percutis, sed te irritantibus dona, si quæsierint, tribuis. Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor mei, ego infelix, ego te irritavi, ego malum coram te feci; furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, & passus es; deliqui, & adhuc sustines. Si poeniteo, parcis; si revertor, suscipis; insuper dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Doces ignorantem, mœren-

tem mulces; à ruina suscitatus, post lapsum reparas, petenti largiris, quarenti inveniris, & pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ, quid opponam, nescio; quomodo respondeam, ignoro. Nullum abs te confugium, nullum à te patet latibulum. Ostendisti mihi bene vivendi viam, & gradiendi scientiam dedisti; minatus es mihi gehennam, & pollicitus es mihi paradisi gloriam.

3. Nunc Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris metuendo evadam; & redde mihi lætitiâ salutis tui, ut quæ spondes diligendo percipiam. Fortitudo mea Domine, firmamentum meum, Deus meus, refugium meum, & liberator meus: suggere, quid de te cogitem; doce, quibus te sermonibus invocem; da, quibus operibus tibi placeam. Scio namque, scio unum, quo tu placaris; & aliud, quod non spernis. Est utique tibi spiritus contribulatus sacrificium, & acceptas cor contritum & humiliatum. His me Deus meus, adjutor meus, dita muneribus. His contra inimicum muni protectionibus; hoc de flammis vitiorum præsta refrigerium; his autem desideriorum passionibus pande pium refugium.

4. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli, spes mea in die afflictionis, & salus in tempore tribulationis.

. 5. En

5. En Domine illuminatio mea , & salus mea , rogavi , quibus egeo ; intimavi , quæ timeo ; sed remordet me conscientia , reprehendunt me cordis secreta ; & quod amor ministrat , timor dissipat , zelus incitat , metus increpat. Acta mea formidinem , sed tua ingerit pietas fiduciam ; tua hortatur benignitas , mea tardat malignitas. Et , ut verius fatear , occurrunt memoriæ phantasmata vitiorum , quæ reverberant audaciam præsumptionum animorum.

C A P V T III.

Homini conquestio , qui propter inobedientiam à Domino non auditur.

1. **C**Um enim quis odio dignus sit , quæ fronte gratiam requirit ? Cui pœna debetur , quæ temeritate gloriam deposcit ? Lacescit iudicem , qui postposita satisfactione delicti quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio , qui donari flagitat indebito bravio ; & dulcem affectum patris stultus exacerbatur filius , qui post illatas contumelias ante pœnitentiam hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid , mi Pater , me gessisse recolo ? Merui mortem , & peto vitam. Commovi regem meum , cuius impudens invoco præsidium. Contempsi iudicem , quem temere postulo adiutorem. Insolens renui audire Patrem , quem demum præsumo habere tutorem.

2. Heu mihi quam sero venio : heu , heu , quam tarde festino : heu me , quia curro post vulne-